De quo vide Clem. Dudum de Sepul. §. Verum ne & Panor. cap. 1. de Sepul. & cap. Fraternitatem. Vide in Rub. nu. 1. &. 2. de Parochiis. Atq; ita poterũt fratres qui Parochi officium exercent ſepelire Indos, & aſſociare eorum corpora cum Cruce alta, etiam tranſeundo per terminos Parochię Clericorum: quia alij Curati poſſunt, ergo qui exercẽt officium Parochi. Immo non tenentur quartã ſoluere funeralem ſtando in ſolo iure poſitiuo, quia Parochi non tenentur ſoluere, ergo nec Religioſi de illorum oblationibus, & obuẽtionibus circa quos exercẽt dictum officium.

29 ¶ Sexta veritas. Tenetur Parochus ſcholam puerorum habere, pueros fidei rudimenta & obedientiam erga Deum, & parentes docere. Vide cap. Vt quiſquis. de vita & hon. Cler. vbi precipitur ꝙ Clericus qui plebem regit, Clericum habeat ſecum, qui cãtet Epiſtolam, & Lectionem legat, & qui poſsit tenere ſcholas, & admonere ſuos Parochianos, vt filios ſuos mittant ad fidem diſcendam, quos ipſe cum omni caſtitate erudiat. Et Seſſ. 24. de Reformat. cap. 4. dicitur, & præcipitur Epiſcopis, & Parochis. Iidem etiam ſaltem Dominicis